

Q. K.
373
II.

X 1903719

II n
5849

Q. D. B. V.

DE

REBUS IN
HISPANIA GESTIS,

DISSERTATIO PRIOR,

publice habebitur

PRAESIDE

M. SEBASTIANO EDZARDO,

&

RESPONDENTE


DIETERICO MENGIO,

Hamburgensibus,

Die 22. Junii Anno 1695.

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



274



Q. D. R. V. V. DE
P. E. B. L. I. S. I. N.

HISPANIA GESTIS

DISSECTATIO PRIMA

DE

REPUBLICA

M. SEBASTIANO EDUARDO

PROFESSORE

DICTERICO MENGIO

PROFESSORE

DISSECTATIO PRIMA

DE

DISSECTATIO PRIMA

DISSECTATIO PRIMA



H
c
f
r
a
t
i
o
n
e
v
i
d
e
n
t
i
a
C
a
r
t
a
n
e
d
e
V
a
s
t
a
p
e
c
u
p
u
s
p
l
f
s
c
m
s
i
t
h
a
n
t
i
c
i
a
u
f
a
n
t
i
c
i
a



Hispaniae Romana signa P. & Cneus Scipiones primi intulerunt. Hinc per annos CC. multo mutuoque sanguine certatum est, ut contumelia saepe, & interdum periculum Romano imperio inferretur, quamvis nunquam universa contra Romanos insurgeret. Una civitas Numantia, Romanis plus negotii, quam multi praepotentes Reges, fecit, quae per XIV. annos par fuit populo, qui orbi terrarum par esse coeperat, imo & superior, cum non solum Romanos Duces castris aliquoties exueret, sed & pudendis afficeret cladibus. Ad extremum discordia potius civium, quam Romanorum fortitudine debellata, suo iacendio deflagavit, nihil hostibus gaudii, nisi inanem de solo nomine triumphum relinquens. Cantabri & Astures adhuc Augusti aetate bella pro libertate & imperio gesserunt, nec nisi post varias clades flexere cervicem.

II. Ergo Hispania non nisi difficulter a Romanis in provinciam redigi, retineri autem prorsus non potuit. Quas Constantinus ab exercitu Britannico designatus Caesar, turbas dedit, illae Hispanis etiam tuere fatales. Hic Svevos, Vandalos, & Alanos, barbaras gentes, in societatem pellexit, & cum Constante filio in Hispaniam misit. Manus conseruere cum Romanis, victoria, penes Constantem fuit, cujus felicitatem Hispaniae magna pars protinus secuta est. Constantinus vero & Constans, pater & filius, pari temeritate Rempublicam invadentes, pari exitio periere. Porro divisa inter barbaros Hispania. Vandalis Baetica, Alanis & Svevis Lusitania cessit. Et jam nihil ipsis a Romanis metuendum videbatur, nisi in semetipsos arma vertissent. Discordiam illorum suam occasionem ratus Athaulphus, socius & amicus Romanorum, ex Galliis in Hispaniam movet, Tarraconensem provinciam sibi subjicit, primum regni Gothici in Hispania fundamentum jacet. Illi post Sigericum Vallia successit. Hic magna clade Alanos affecit, qui Svevis Gothicisque postea commixti ipsum etiam nomen paulatim perdiderunt. Elapsis annis compluribus Vandali Africam relicta Hispania petunt, Svevi vero Baeticam in potestatem redigunt, ut nihil Alanis sociisque illorum superesset. Svevorum spes resque Theodoricus II. & Levigildus converterunt, Romanos autem Euricus debellavit. Sic dum tot gentes de Hispania certant, omnes ejus faciunt jacturam.

III. Quis non crederet satis jam satis malorum Hispaniam perpeffam? Sed nondum satis malorum erat. Ab alia gente adhuc eam exitium manebat. Quod Rodericus Gothorum Rex admisit, vindicatum in eum est, qui poenas suae libidinis dedit. Adversus eum Julianus Comes, cujus filiae vitium Rex intulerat, Mauros sub initium seculi VIIIvi in Hispaniam evocavit, ut annales ejus gentis tradunt. Rodericus iis unum ex cognatis obviam

misit, forte indignos ratus, cum quibus ipse praelium iniret. Sed eo fugato ipse decernere constituit, perinde ac si Ducibus suis vel cura, vel fortuna, vel utraque defuisset. Non alia acrior pugna fuit. Anceps & ab utraque parte cruenta fere octo dies duravit, ut plane videretur maximi quid momenti deliberare fortuna. Ipsi Roderico, & multis virorum millibus vitae, Gothi imperii liberatisque finem attulit. Mox potentissimae quaevis civitates imo tota ferme Hispania a Saracenis Maurisque subacta, stipendiariaque facta est, hoc tamen Gothi inter tot mala relicto solatio, quod sacra more majorum celebrare liceret.

IV. Indigna populo forti & libertati assueti servitus. Hic cunctos Mauros ferret dominos, qui pares sibi in Hispania Romanos non tulerat? Igitur non mirum Mauritanici belli cineres multo vehementius recaluisse. Optime vero de Hispanis meritum Acabaten, dum pessime meritis est, jure dixeris. Quod enim viribus paratam provinciam non jure & aequitate, sed immani facivitia retinendam putavit homo inhumanissimus, id Gothi salutis fuit. A principio turbatum potius quam bellatum est. Mox Pelagius, Vir in tantum laudandus, in quantum intelligi virtus potest, justum collegit exercitum. Qui memor originis (regiae enim stirpis erat,) digna majoribus capessens, contemptam jam ferme gentem extulit, & caesis hostibus, urbibusque receptis compluribus, vicinis metum injecit. Ipse Regis Oviedi sumsit insignia, & ad successores transmisit. Ea aetate Garsias nobilis Cantaber, Suprabiam aliasque urbes Saracenis eripuit, novumque condidit regnum. Ita quidem respirare Hispani, & ab inferis emergere. At quae paucis annis Mauri occupaverant, vix integris aliquot seculis recuperata sunt. Varia saepe fortuna pugnatum, & toto illo tractu temporis usque ad XV. seculi finem aut bellum inter Mauros Christianosque, aut belli praeparatio, aut infida pax fuit. Frequentibus vero praeliis utriusque maxime tamen Mauri deminuti, qui unam post aliam non civitatem, sed regnum quoque perdiderunt. Verum enim vero si quisquam, Ferdinandus V. in exitium Maurorum natus est. Qui tum Mauris praecerat Abul Hascem, ea quidem erat potentia, ut non tantum regno suo defendendo, sed & laceffendis Hispanis sufficeret. Ipse Ferdinandus gravi contra Portugallos bello implicitus. Hinc fusos ad Malagam Hispanos, Andalusiam, Murciamque a barbaro longe lateque vastatam, Ferdinandumque inducias magis necessarias quam honestas pepigisse, non est quod miremur. Sed cum his inflatus successibus quamvis occasionem regni ulterius profectendi captaret, inducias rumpere, Zahara de improvviso contra datam fidem & oppugnata & capta, in ultionem Ferdinandus excanduit. Itaque pacem cum Portugallo firmat, totisque viribus ad injuriam ulciscendam se comparat.

parat. Nec justissima causa successu caruit. Alhama munitissima civitas
primum belli praemium fuit. Tum praeda ferme usque ad Granatam acta,
& oculi trepidae civitatis fumo ac pulvere impleti. Levia haec, si cum iis quae
jam dicemus, comparentur. Majoribus non audendis, sed perficiendis, op-
portunitatem maximam subministrabat hostis. Roderici libido Hispanis,
Abulhascemi Mauris perniciofa fuit. Hic captus amore foeminae, quae re-
ligioni Christianae nuncium miserat, uxorem suam repudiat, filios ex ea su-
sceptos trucidare constituit, trucidat etiam, duobus exceptis, quos fuga cru-
delitati Parentis subduxit. Hinc orta seditio, filiusque natu major, cui A-
biabdalaee nomen, tanto periculo defunctus, regnum quod expectare pote-
rat, rapit. Pater cum filio, filius cum patre cruenta bella gerit. Tantam ne ge-
rendarum rerum opportunitatem Ferdinandus dimitteret? Itaque in spem
toto Granatensium regno potiundi erigitur. Abiabdala satis se instructum
ad utrumque hostem obterendum existimans, bellum occupare statuit. Clau-
dit obsidione Lucenam, sed venientibus ad suppetias ferendas Hispanis ab
incepto desistit, fugam capessit. Ita quaerendi Hispanis quos vincerent, i-
dem vero metus, qui cogebat Mauros fugere, fugientes morabatur. Asse-
quuntur eos Hispani, magno praelio superant, ipsum capiunt Regem. Haec
a ducibus Ferdinandi geruntur, qui alio exercitu fines Maurorum ingressus
Tacharam corona capit. Exultantem tam laeto ubique rerum exitu, legati
Maurorum adeunt, ut Regem captivum dimittat, pacem concedat, orant.
Annuit petitis Ferdinandus, veritus, ne si Abiabdalam diutius detineret, Mau-
ri discordiis positus in gratiam invicem redirent. Id consilium non ratione,
prudentius, quam eventu feliciter. Barbari, summo quo Abiabdalam antea
prosequerantur, amore, in odium verso, quod ignominiosam cum Ferdi-
nando pacem iniisset, stare conditionibus recusant, & in Andalusiam denuo
impressionem faciunt. Victi facile fugatique sunt. Interea Granatenses,
veterem Regem recipiunt. Ferdinandus Abiabdalaee nunciari jubet, non se-
rupti foederis culpam in eum conferre, paratorem se esse ad ferenda auxilia,
quam ipse ad petenda esset. Igitur inter eos iterum sancitur foedus. Hispa-
ni urbes arcesque plurimas & inter illas Rondium, a Barbaris pro inexpugna-
bili haecenus habitum, expugnant. Barbari cum adversus Hispanos pu-
gnandum esset, in mutua saeviunt viscera. Patrum Abiabdalaee, cui idem
nomen, sed plus fortitudinis, virtutisque, Regem designant. Ille ad Ferdi-
nandum confugit, & in eo quaerit praesidium, qui tanquam e specula omnia
prospiciens Mauris insidias struebat. Patrus vero dignitatem regiam con-
secutus IVM. Hispanorum in fugam vertit. Parum autem juvat praeliis
ambiguum vel etiam victorem esse, si bello vincaris. Ferdinandus stragem

suorum expugnatione munitissimarum urbium vindicat. Is qui socius Christianorum erat, Abiabdala, Albayzinum partem Granatae urbis per insidias intrat. Hic dum bini Maurorum Reges (tertius enim unius Parens & alterius frater vita excefferat,) castra sibi invicem opposita habent, Hispani Velez Malagam, urbem adhuc hodie celeberrimam, circumfident, Mauros auxilio venientes caedunt. Ipsa Granata juniori Abiabdalae se permittit. Summo gaudio ob deditionem perfusus, nescius quantum mali haec victoria ipsi allatura esset, promittendoque quam servando paratior, cum Ferdinando paciscitur, si Almeriam, Baçam, & Gades, quo patruus confugerat, expugnaret, se Granatam Hispanis traditurum, ea tamen lege, ut urbes quasdam Hispaniae, unde honeste vitam duceret, liceret retinere. Forte enim persuasum habebat, aut illas nunquam in Christianorum potestatem venturas, aut si quo casu venirent, impune se Ferdinando illisurum. Quam male consulunt rebus suis, qui ea tantum sequuntur, quae praesens odium suggerit, & dum aliis perdendis operam dant, nec futura prospiciunt, se ipsos perdunt? Velez-Malaga cum nihil praesidii mitteretur, se Christianis dedit. Eadem Baçæ fortuna. Alter Abiabdala, cuncta in pejus ruere videns, pacem petit, Almeriam, Gades, & reliqua quae adhuc tenebat, tradit, paucissimis sibi servatis, quae vitae pristino statu digne agenda sufficerent, pauloque post impetrato Ferdinandi consensu Hispaniam totam destituit, & in Africam transit cum opibus, quas possidebat. Jam solus supererat juvenis, modicus virium, non fortitudine neque rerum experientia par patruo. Quid ab uno illo Hispanis metuendum, quibus tot Reges impares fuerant? Aut tunc Hispania pellendi Mauri, aut nunquam. Mittit ad Abiabdalam juniorem illum legatos Ferdinandus, se pactis stetitisse, Almeriam, Baçam, Gades, hostili praesidio liberatas, liberaret jam ipse fidem, traderet Granatam. Ille prolatando tempus extrahere, praetexens, non per se stare quo minus promissa impleret, non sibi liberam aut infinitam potestatem in suos esse, ceterum ex omni studio annisurum, ut quam primum pactis fieret satis. Moras necere, negare erat, prudentior vero Ferdinandus, quam ut haec obtentui sumi non intelligeret, & potentior, quam ut sibi verba dari pateretur. Quod cum gratia impetrare non posset, vi extorquendum statuit. Noverat Barbarus, quam cum strenuo sibi res esset. Hinc totis viribus tanti belli discrimen aditurus, vicinos ad defectionem sollicitat. Capit Alhandinum, Marchennamque, ut fortunam satis obsequentem habere videretur. At laetos fortunae lusustristis exitus foedavit. Eos qui defece- rant, cito ad officium redire cogit Ferdinandus, & amissa recuperat. Denique ad ipsam Granatam exercitum admovet, castris, fossis, loricis circumdat. Gravior obsessis cum fame, quam cum hoste pugna. Quapropter nihil
magis

magis habebant in votis, quam spes omnes unius praelii fortunae committi. Ferdinandus certissimam sibi victoriam non pugnare putat, & mora potius quam virtute Granatenses ad extrema deditiois redactum iri sperat. Itaque hanc iis gloriam dedit, ut aliter vinci non potuisse viderentur. Quod consilio designaverat, evenit. Post octo mensium obsidionem urbs validissima Granata, Regni Granatensis caput, Regumque sedes, postridie Calendas Januarias A. MCCCC XCII. in Ferdinandi potestatem pervenit. Felix anni initium, quod finem Maurorum imperio in Hispania attulit, & felicem fortunatumque diem, quo regnum florentissimum barbaris, quos per tot secula quotidianos hostes, & aliquando Dominos habuerat, liberatum, sibi que redditum, solis postea Christianis paruit!

V. Si nihil aliud ad amplificandam Hispanorum potentiam contulisset Ferdinandus, multos eorum, qui ante eum regno praefuerant, superasset, omnes aequasset. Maurorum in hoc regno potentiam, non imminutam, non fractam, sed deletam, Hispaniae, Galliae, totius denique Christiani orbis interfuit. Haec expeditio Catholici Titulum Ferdinando peperit, quem jam olim a Synodi Toletanae Patribus Reccaredo ob zelum religionis datum, Alexander VI. Pontifex in eo instauravit, & ipsi successoribusque proprium & hereditarium fecit, Christianissimi titulum a Gallo in Hispanum translaturus, si potuisset. Eum adhuc hodie tuentur Hispaniae Reges, tantoque in pretio habent, ut cum Protectoris Ecclesiae Alexander VII. Philippo IV. offerret, is nollet accipere, negans quicquam Catholici titulo augustius vel magnificentius dici posse. Verum enim vero majora sunt, quae Hispaniae Reges, Ferdinando V. in acceptis ferunt, & ea plane, quorum amplitudine ferme omnium ante actorum comparationem vicit. Hic jam ante Mauros debellatos Castellae Legionisque regnis potitus est, non bello ancipiti, & victoria multo sanguine funesta, sed ducta uxore Isabella, cui hereditario jure debebantur. Hic cum a Neapolitanorum partibus staret, Neapolitani, cum Gallis accederet, Galli victores evasere, cum paulo post & Gallis bellum inferret, toto illos Neapolitano regno submovit, ut constaret omnibus, parum interesse, sive cum Neapolitanis sive cum Gallis Ferdinando pugnandum esset. Hic Navarrae regnum impetu cepit, effecitque, ut cum haud multis ante annis Hispaniae regna quinque Regibus parerent, Castellano, Arragonio, Portugallo, Navarro & Granatensi, mutata rerum facie, praeter ipsum unus tantum in tota Hispania, Portugallus nimirum superesset. Hic Christophori Coloni, (id enim non Columbi nomen homini fuisse, vel Diploma Alexandri VI. indicio est,) consilia dum sequi maluit, quam aspernari, quanti sit, pretio spem in loco emere, docuit, novum orbem detexit, detectum cepit. Hic non solum Portugalliae
Angliae

Angliaeqve potentissimos Reges generos habuit, sed & Joanna filia Philippo Austriaco nuptui data luculentae totius Belgii ad Hispanicum imperium accessionis, auctor & causa extitit. Hic imperium Hispanicum ad quamdam quasi robustam maturitatem perduxit: hic primus Hispanos ad dominatum Europae summis votis & viribus agitandum excitavit, hic plus terrarum, quam ullus quos Roma victrix gentium aut Caesares, aut Consules, aut Dictatores habuit, occupavit, heredibusque reliquit. Quod si invasionis Navarrae & successores ejus qui invaserat, puduit, si capta Neapoli fidei suae labem asperit, Gallorumque odium meruit, neminem unquam fuisse, cujus virtutes nullo vitiorum confinio laederentur, & qui nihil in vita nisi laudandum aut faceret, aut diceret, aut sentiret, cogitemus.

VI. De PHILIPPO, cujus per breve in Castellanos imperium fuit, dicam breviter. Plurimum ex eo ad res Hispanorum, parum ad Philippum accessit. Belgii possessione aucta Hispania est, sine qua nunquam ad tantum fastigium pervenisset, ipse odium Ferdinandi soceri incurrit, uno anno tantum & paucis mensibus Castellae Legionique imperavit, mors fato prope ipsi imperium, imperio ipsum abstulit. Dignus magis extento vitae spatio, pacis amantissimus Princeps, & ut paucis omnia complectar, amor & delictum generis humani. Satis tamen vixit, qui ita vitam instituit suam, ut parum vixisse videatur, quodcumque vita excedat. JOANNAM Ferdinandi filiam & tori & regni sociam habuit, superstitem marito, & commortuam: Superstitem quidem, cum non nisi plurimis post eum annis naturae debitum persolverit, at commortuam, cum ita succubuerit dolori, ut quam post mariti mortem vitam duxit, ipsa morte deterior fuerit. Regnis, quae mortuo Parente ad eam redierunt, per animi aegritudinem praesse non potuit. In apertam enim insaniam, cujus initia vivente Philippo jam sentiebantur, incidit, a qua tot gentes consilia expetebant, atque expectabant, inclusaque turri est, quam tot regnis leges dare oportebat. Titulis igitur usa potius quam gavisa est, dataque ansa quaerendi regno subjectis, cur tam cito Philippus, & cur non citius Joanna decessisset, prout vel in se, vel in Joannam misericordia ducebantur.

VII. CAROLUS vero I. Philippi ex Joanna filius natus maximus, a patre Belgii, a matre totius Hispaniae & magnae Italiae partis, a Maximiliano avo amplissimi in Germania patrimonii heres, ac postremo in Imperio successor, totam Europam spe & fatali potentia complecti visus est. Belgium, cum vix ex ephebis excessisset, Hispaniam XVII. Imperium Romano-Germanicum XIX. annorum adolescens regere aggressus est, ut in eo Hispani Germanum Regem, Germani Hispanum Imperatorem, Belgae Germano-Hispanum Comitum

miter habuerint. Nihil in eo desideratum est, quod ad maximum Impera-
torem pertineret, non scientia rei militaris, non virtus, non auctoritas, non
felicitas. Frequentibus bellis Gallos, Italos, Turcas, foederatos Germaniae
Principes vicit, Hispanos rebelles domuit, Gandavensium proterviam casti-
gavit, illustri exemplo docens Hispanos, quantum in quiete Belgii situm es-
set, cum tot regnorum potens & Imperator, unius urbis ad officium redigen-
dae caussa se Regis Galliarum fidei committeret, per medias Gallias iter face-
ret, provideretque, ne prius Gandavenses rebelles quam supplices in Hispania
nunciaretur. Regem Galliarum Franciscum in Romano Imperio competi-
torem & potentiae aemulum, Pontificem Romanum, Electorem Saxoniae, o-
mnes potentissimos Principes, captivos duxit. Turcas vero tantus terror no-
minis ejus invasit, ut Solimannus, Imperatorum, quos Turcae habuerunt,
facile Princeps, praelio cum eo decernere ausus non sit fortunam Caroli, quam
fato prosperam haberet, veritus, Mediolanensis Comitatus possessionem cer-
tam suis fecit, Ultrajectum, Geldriamque Burgundiae adjecit. Romam ce-
pit, quae olim toti orbi leges dederat: sede Imperii eo transferenda pruden-
ter abstinuit, ne irritaret crabrones, totumque monachorum gregem in se
verteret. Nullius enim victoriae puduit, nec capti Pontificis, quamvis ob
eam causam publica laetitiae gratulationisque de nato filio signa fieri edicto
vetuerit, publicasque preces pro libertate Pontificis, quae ab ipso tamen pen-
debat, indixerit: nullius enim victoriae poenituit, nisi de Johanne Friderico
reportatae. Id vero maximae gloriae Carolo fuit, semperque futurum est,
quod illo Imperatore, religionis repurgatae opus sub Maximiliano I. coeptum
tanta incrementa sumserit, nec unius Saxoniae aut Germaniae finibus inclusa,
& coarctata, ad cunctas gentes nationesque penetraverit, adeoque summo
miraculo fuerit, hanc doctrinam sine miraculo inter tot calamitates & peri-
cula propagatam & conservatam esse. Pacis tamen conditiones a Mauritio
El. accipere necesse habuit, quas imperio religionique salutare, isti liberta-
tis vindici haudquaquam denegavit. Ceterum, cum in Africa res prospe-
re gereret, hostes, cum infeliciter, se ipsum, mare, & tempestates vicit. Nun-
quam vero major, quam cum omnia quae magnitudinem aliquam concilia-
re solent, sperneret, Augusta dignitate se abdicaret, Imperium Ferdinando
fratri, Hispaniae regna & Belgium Philippo filio traderet, quod reliquum
erat vitae, Deo sibi transacturus. Tunc ad mortem (cujus metu adeo
non tenebatur, ut vivo sibi exequias fieri vellet,) toto se comparavit biennio.
Tandem e vita magis migravit, quam mortuus est, non in suo, sed solo Chri-

At Servatoris merito omnem spem fiduciamque collocans. Merentur ad-
scribi verba Thuani, qui gravis firmo stabilique omnium consensu scriptor est,
Histor. L. XXI. Toto biennio, quod mortem praecessit, in Hieronymianorum
fratrum sodalitate, monitore usque Constantino quodam, qui ei a sacris confessio-
nibus erat, praecipue B. Bernardi nostratis lectione se solabatur, & toto pectore
in Deum revolutus sic ratiocinabatur, se quidem indignum esse, qui propriis me-
ritis regnum caelorum obtineret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure
obtineat, & patris hereditate & passionis merito, altero contentum esse, alte-
rum sibi donare, ex cuius dono illud sibi merito vindicet, hacque fiducia fre-
tus, minime confundatur: neque enim oleum misericordia nisi in vase fiduciae
poni: hanc hominis fiduciam esse a se deficientis, & innitentis Domino suo: alio-
qui propriis meritis fidere, non fidei, sed perfidiae esse: peccata remitti per
Dei indulgentiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab
eo cui soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit, per quem solum nobis
peccata condonantur. Ita cum sensim ad lentam tabem febris acuta accessisset,
imaginem Christi crucifixi, identidem in oculis, ulneis, ore, & tota mente complexus,
in eo solo se omnem salutis suae spem collocare declaravit, sumtoque viatico, in
me mane, (inquit) dulcissime Servator, ut ego in te maneam, in quae verba de-
ficiens, animam gloriosissima hanc vitam defunctam, Deo, qui dederat illam, red-
didit. Princeps ortu magnus, rebus pace belloque gestis major, exitu vi-
tae multo maximus, potentiaeque tantae, quantam nullus ante nullus post eum
inter Reges Hispaniae est consecutus.

VII. Eum PHILIPPUS II. excepit. Huic optime perspectum erat,
Angliam Europae lancem librare quasi, atque moderari. Eam igitur ad u-
nius Imperii leges summo studio redigendam censuit. Duxit uxorem Ma-
riam Angliae Reginam. Si solidum fuisset Reginae gaudium, quae infan-
tem in utero suo moveri existimabat, cum Polus Julii III. Legatus Senatum
Anglicani regni ad instaurandam Pontificis auctoritatem hortaretur; si soli-
da fuisset spes Pontificiorum, alterum Johannem Baptistam nasciturum, qui
ad salutationem Legati a Christi vicario missi subsultasset, Anglia Hispaniae
pareret. Sed ista spes Mariam frustrata est: ipsa quarto post anno supre-
mum explevit diem. Quia hac non successerat, alia Philippus aggrediebatur
via. Ambit Elizabetham, de qua olim optime meritus erat. Exosam Ma-
riae, inclusam carceri, in vitae discrimen adductam servarat, gratiam fororum
reconciliare sedulo allaboraverat, ut si conjux sine liberis decederet, Eliza-
betha ducta Angliae regno potiretur. Non enim ea modo quae antepedes
erant,

erant, prospicere, verum etiam in futurum consulere solebat. Nunquam vero induci potuit Elizabetha, ut ulli nuberet. Sic Philippus solam sed solidam & semper duraturam Elizabethae servatae, innocentiae defensae gloriam retulit. Idem Gallias occupare conatus est, at intra conatum substitit. Feliciora contra Portugalliam arma corripuit. Fortissime contra Mauritanos pugnans occubuerat Sebastianus, patruus & regni heres Henricus brevi post tempore vivis excesserat. Complures potentissimum regnum sibi vindicare. Quisque causam suam agere pro virili, & quo jure in tantam spem erigetur, exponere. Philippus literariis bellis, in quibus plus atramenti, quam sanguinis funditur, nihil actum ratus, Ducem Albanum cum exercitu in Portugalliam mittit, regnum totum, & cum eo Africam Asiamq; littoralem suae ditionis facit. Totius Hispaniae jam potens erat Philippus. Non exercitus, non classes maximae, non divitiae, quantas nec oculis subjicere nec animo concipere facile queas, deerant. In Asia, in Africa, in America rotundissimae potentissimaeque regiones parebant. Plus terrarum intra centum annos Hispani acquisiverant, quam Romanus gentium arbiter populus, seculis plurimis Solem in imperio suo nunquam occidere, se ex colliculo suo paucissimis verbis chartae inscriptis Occidentem Orientemq; moderari, Philippus jure gloriari poterat. Verum res hujus orbis semper in orbem volvuntur, & nunc floret gentium fortuna, nunc senescit. Idem Hispanis usu venit. Antequam hunc apicem potentiae attigissent, nata jam erant, unde ruina imminebat. Causa malorum nimia felicitas. Majus erat imperium, quam ut ullis externis viribus extinguere posset. Igitur in suum exitium armabatur. In siti Belgis mores privilegia tueri, non pati imperium herile, aut Monarchas insolenti dominatu graves. Carolus nuper dominum habuerant, paternum, moderatum, & regnandi quodam temperamento decorum, qui amari mallet, quam metui. Circumscriptam voluerat Philippi potentiam, & suam legibus auctoritatem constare, ut si jura convelleret Filius, Belgis nuntium ipsi mittere integrum esset. Inde injuriis agitated populus, cum invalidum legum praesidium videret, armis se in libertatem vindicavit. Prima belli arena Belgium fuit: postea totum qua patet, Hispanorum imperium, quasi quodam diluvio inundavit ac demersit. Initio fortuna Belgis adversa, Hispanis obsequens. Fugati ex utroque castris qui arma contra Philipum sumserant. Porro Valancena ad extrema redigitur, Trajectum ad Mosam, Sylvaque ducis Hispanos patentibus portis recipiunt, Antwerpia ipsa iram Regis deprecatur, Brederodius fuga salutem quaerit, Hollandiae, Zelandiae, Frisiae civitates imperata faciunt, praesidiarios non admittunt, sed expetunt. Pacata omnia, res foederatorum.

deploratae, nisi Dux Albanus Belgio Praefectus datus esset. Plus ille Hispanis, quam ullus hostium nocuit. Ejus crudelitas, & avaritia Hispanos a cervicibus Belgarum depulerunt. Famae datum, jussu ejus XVIIIIM. hominum manu carnificis periisse. Ita cum omnia crudeliter ageret ac pro imperio, oppressis desperatio spei initium fuit. Wilhelmus Arausionensis Princeps triplici agmine ex Germania Belgium repetit. Nondum vero conatibus respondent successus. Miles quidem non deerat, nec virtus, sed argentum. Hujus penuria dimittere exercitum, excedere Belgio cogitur. Albanus veram & sine exceptione victoriam obtinuisse visus, statuam sibi erigi curat, insultat victis, injurias auget injuriis, decimam ex mercibus, viciesimam ex immobilibus ut vocant, centesimam ex omnibus bonis imperat. At victi tantum erant Geusii, sive mendici: (Ita enim eos per contemptum Hispani vocabant, qui tamen postea ad eam ferme paupertatem redacti sunt, quam in hoste contemserant,) non domiti. In rabiem conversi Brielam de improvviso capiunt. Laetum hoc videbatur omen, quod *Briel* transpositis literis *libertatem* auguraretur. Idem nomen cum perspicilla significaret, in ludibrium Hispanorum versum est, depictusque Albanus specilla naso imposita gerens, quasi numeraturus argentum, quod ex decima rediret. Omnes ferme civitates Hollandiae, novos animos sumserunt, Arausionisque se junxerunt Principi. Ex eo tempore summis utrinque viribus pugnatum est. Cito ignis accenditur, cito vires acquirit, sed non nisi difficulter extinguitur: ita quamvis a parvis initiis profecti motus non facile sedantur. Potentia toti orbi formidabilis Philippus, partem Belgii, quae Hispanorum abnuebat imperium, & amplissimis eorum regnis provinciisque collata, puncti instar erat, nunquam ad officium redigere valuit. Ipsi quidem Belgae rebus suis diffidebant. Indicio nummus est, in quo depicta navis undique ventis fluctibusque agitata, cum inscriptione, *Incertum, quo fata ferent.* Imperium in se suosque Henrico IV. Galliarum Regi, & Elizabethae Reginae Angliae obrulerunt. Rejetti sunt ab utrisque, singulari summi Numinis providentia, vel quod eos contra Regem potentissimum defendi non posse crederent, vel, quod nullam in eos potestatem habere mallent, quam circumscriptam. Hi tamen per tot annos sustinuerunt Hispanos, & primo pro libertate mox pro imperio, tam fortiter feliciterque pugnarunt, ut dubium sit, virtusne magis an fortuna ad constituendam illorum Rempublicam contenderit. Nec tamen cum his solis, sed cum Gallis & Anglis gerenda Philippo bella. Angliam ut domaret, classem instruxit post hominum memoriam maximam. Quae dum in portibus esset, ho-

stes

ffes terrore, cum mari se commisisset, totam Hispaniam luctu replevit. Classis
quae *invincibilis* dicebatur, tempestate disiecta est, nec multo paucioribus
Anglorum Belgarumque navibus resistere potuit. Venit, fuit, ivit. Hispani
ni classem ingentem exire portibus, redire non nisi reliquias viderunt. Summa
tamen in Philippo magnitudo animi, non alias magis conspecta est. Tam
grave damnum aequo tulit animo. Non (inquit) classem instruxi, ut cum
Deo, sed ut cum hominibus pugnarem. Deo gratias ago, cujus benigni-
tate mihi superest, unde aliam amissae non impari possim instruere. Pluri-
mas vero his bellis a Batavis etiam reportavit victorias, vel ut horum prospera
distinguerentur adversis, vel potius, ut constaret, non fortitudinem virtutem-
que Hispanis defuisse, soli que DEO qui superiorum terminos ponit, & arbi-
trio suo meretur, hanc rerum mutationem adscribendam. Nihil tamen, arbi-
tror, majori Philippum dolore affecit, quam turbae domesticae. Carolum, fi-
lium natu maximum, Regni heredem, Juvenem fortissimum, in quem totus
orbis oculos converterat, custodia asservatum morte affecit. Erepta filio
spoufa, quam Philippus uxorem quam nurum maluit, odio mutuo ansam de-
dit. Caroli in Belgas studium, & consilia de bello civili componendo, aetas-
que imperio maturo Parenti merum incusserunt. Denique filium vitae suae
insidiari, delatoribus credidit, eumque cui vitam dederat, e medio tolli voluit.
Religionis Pontificiae, a qua Carolus alienior videbatur, populorumque
conservationis majorem a se quam filii rationem habitam, Pontificis nuncio
Rex significavit. Rectene an injuria huc illud Poetae ab inimicis Caroli al-
latum sit, mortis annum exprimens,

FILIIUS ante Deum patros Inquirit In annos
in medio relinquo. Id certum est, rectius populorum conservationi Phi-
lippum consulturum fuisse, si leniora, quam Inquisitores suggerebant, consilia
pati potuisset. Finis superioris seculi finem vitae Philippi, non autem bello
attulit. Princeps fuit, tum bello tum pace promptus, prudentia incompara-
bilis, potentia vero haud facile aliis praesertim aequalibus secundus.

II. X. Successorem habuit filium, regni nominisque haeredem PHILIP-
PUM III. Bellum contra Belgas totis prosecutus est viribus: sed infeliciter.
Hispani terra marique magnis proeliis superati, urbes multae amissae, Hiber-
nia sine successu tentata fuit. Nec aliud bello remedium inveniri potuit,
quam ut Belgarum Republicam liberam pronunciaret. Tunc in XII. an-
nos pactae induciae. Refovendae jam vires Hispanis, sed eas ipsi magis attri-
verunt. 900000. Maranorum Hispania insequente anno ejecta sunt. Innotu-
erat

erat Regi Maranos Africanis, Turcis aliisque Hispanorum hostibus nimis
uti familiariter. Non deesse iis voluntatem oblata occasione turbas dandi, vel
hinc satis patebat, potestas vero tantae multitudini deesse non poterat. Ergo
pellendum genus hominum inqvies, ut Hispania secura esset. Exstat tamen
Philippi vox gravis & prudens. Bonum Medicum non amputare membra,
quae sanari queant, nec bonum Regem poenas a tota gente exigere, nisi
summa cogat necessitas. His enim non confirmari regna, sed debilitari, de-
sperantis autem non fortis aut sapientis Viri indicium esse, faucibus suis ad-
movere cultrum, ut imminentibus malis periculisque se subducatur. Porro
cum Allobrogibus & Palatinis bella varia fortuna gessit. Dum vero finitis
induciis, quas cum Belgis foederatis pepigerat, etiam contra eos bellum in-
staurat, morti succumbit Rex pius, & in suos clemens, qui imperare magis
posset, quam vellet, ac quod apud Hispanos rarum, summa castitatis laude
insignis, denique meliore in omnia ingenio, animoque, quam fortuna usus.
IX. PHILIPPO IV. morbos aulae persanare, prima, Belgas ad officium redige-
re secunda cura fuit. Illud feliciter cessit, majori Ducis Lermensis, quam quae
Ministro Regis conveniret, potentia depressa, hoc infeliciter. Frequentia
cum Belgis commissa praedia, urbes validissimae ultero citroque captae, aequa
Belgarum & Hispanorum virtus, major Belgarum fortuna emicuit. Classem
argento onustam interceperunt Belgae, quasi propterea Hispani thesauros
concessissent, ut ex iis hostes ditiores redderentur. Quinquennio post alte-
rius classis divitias saevi Oceani fluctus absorpserunt. Alia accessere mala.
Portugalli nec Castellorum imperium nec Comitis Olivarii vitia ferre po-
terant. Jam olim publice in templis Castellorum jugum deprecari, nunc arma
corripiunt, Vasconcellum a secretis ex fenestra dejiciunt, Ducem Braganzae
Johannem, cujus avia olim cum Philippo II. de regno contenderat, Regem
consalutant. Vitae duorum aut trium hominum dispendio Castellani Portu-
galiae regno ejecti sunt, effectumque, ut regnum florentissimum ad tertium
Philippi II. heredem non transmitteretur. Eodem anno Catalaunia ad Gal-
los defecit. Anno XLVIII. hujus seculi pax cum Hollandis Monasterii fir-
mata est, frementibus Gallis, quod Hispanicum Belgium subigendi adime-
retur occasio. Ex eo pax fida & perpetua inter utramque gentem fuit, nec
bellum citius sublatum, quam odium, quod ortum certaminibus ultra metum
non duravit. Foederatum Belgium, quod olim ruinam Hispaniae minita-
ri videbatur, nunc propugnaculum ejus est. Expedire Hispanis dixerim, quod
has VII. florentissimas provincias amiserint. Plus enim ad securitatem Hi-
spano-

spanorum conferunt, dum sociæ sunt, quam ulla natio quæ Hispanis pareat. Itaque cum nihil amplius a Belgis metuendum esset, recepta Catalaunia est, perdita vero Jamaica, quæ Anglis cessit. Sed quid bello nisi pax quaeritur? Illa in Pyrenæis montibus sancita, Pacis vinculum Maria Theresia fuit, Regi Galliarum Ludovico XIV. in matrimonium data. Ut Regina Galliarum fieret, regno Hispaniæ jurato renunciavit, ita Philippo & volente & jubente. Usu autem hic venit illud, quod olim monuit Tacitus, quæ apud concordēs vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos esse. Cum solis Portugallis res erat. Contra hos nec cum vita arma deposuit Philippus IV. Rex inter maximos ætatis suæ Reges merito habendus, sub quo, nisi aliter placuisset Deo, ad potentiam majorem Hispania forte aspirare potuisset.

X. CAROLUS II. quatuor tantum annorum puer, & valetudinis admodum infirmæ erat. Natus per summam membrorum teneritatem fasciis involvi non poterat, mollibus & repletis gossypio cunis imponendus. Eandem ob causam ad decimum usque ætatis annum vix pedibus terram contigit, in sinu & brachiis nutricis suæ vitam ducens. Unde & postea ab hoc sexu alienior, eum vix aspectu dignatus est. Itaque cum post obitum patris nondum imperio maturus esset, tantisper sub matris tutela, res Hispana, & regnum avitum paternumque stetit. Fessæ bellis Hispania pacem suspirabat. In Belgio novi a Gallis excitabantur motus. Rex Galliarum obtentu juris Brabantici, quod devolutionis vocant, Belgicas provincias uxori suæ deberi affirmabat: hoc veluti sidere belli mota tempestas. Una Hispania duobus hostibus Lusitanis & Gallis impar. Burgundiæ Comitatus, præterea urbes in Belgio validissimæ, castella munitissima a Gallis erepta. Primum igitur cum Lusitanis pax sancita. Galli toti Belgio Hispanico inhiabant. Id servari totius Europæ intererat. Ut Gallis, remora injiceretur, Angli, Sveci, Hollandi, triplex foedus iniverunt. Solis Hispaniæ longe superior Gallus, at si tot gentes cum iis vires jungerent, inferior. Hinc a Rege Christianissimo impetratum facile, ut pacem Hispano concederet, Comitatum Burgundicum redderet, urbes, quas in Hispanico Belgio ceperat, retineret. Foederati Belgæ potissimum effecerant, ut Ludovicus parte ejus contentus esse cogeretur, quod totum jam sibi destinaverat. Haec injuria vindicanda, Belgæque, quibus evehendis olim operam dederat, deprimendi videbantur. Exercitu potentissimo eos invadit, tres provincias in potestatem redigit. Ut res eo magis e sententia conficiat, Hispanos in arma sollicitat, partem Belgii foederati offert. Quid facerent? sociosne desererent, fidem.

fidemq; fallerent, an opem ferrent oppressis, immittendumq; aliis fulmen ipsi
exciperent? Sed fidei potius, quam imminentis periculi rationem habendam,
cum insigni quoque jactura faciendum existimarunt, ut ista Respublica in-
tuto esset. Eo quidem bello Comitatus Burgundicus, & firmissima quaedam
Hispanici Belgii oppida amissa sunt, quae Neomagiensi pace in potestate
Gallorum remansere. Quae dum foris aguntur, domi in ipsa Hispania turbae
oriuntur. Nichardius ex Ignatiano ordine Germanus Hispanis & praesertim
Johanni, Philippi IV. ex Calderona filio, exosus, Reginae percarus erat. Plus
autem odium Hispanorum quam favor Reginae potuit, pulsusque aula & re-
gno Nichardius, ut tranquillitati publicae consuleretur. Eadem ipsi auctori-
tate successit Valenzuela, qui par in se Magnatum odium expertus, tristiorum
adhuc exitum habuit. Sopita discordia est, cum Carolus II. suis auspiciis
regnum capefferet. Nihil tam magnificum de hoc Principe dici potest, quin
virtus ejus & pietas id superet. Justitiae temperantiaeque tenacissimus, libe-
ralis in pauperes, clemens in omnes, etiam eos a quibus laesus est, incredi-
bili subjectorum amore ducitur, ut plane publicus parens in locum libero-
rum adoptasse sibi populum videatur. Confirmata jam XIX. aetatis anno va-
letudine, Ducis Aurelianensis filiam uxorem duxit. Illa vita excessit, nulla re-
lictis sobole. Posthaec cum Neoburgica Principe conjugii foedus pepigit. Ve-
rum nec ex hac liberos suscepit, nec suscipiendorum spes ulla superest. Cete-
rum Gallus rupta Neomagensi pace Lutzeburgum cepit, in Catalaunia vero
insigni clade affectus est. Quae indicio fuit, Hispanis non animum contra
Gallos, aut virtutem, sed vires deesse. Quae tum factae induciae sunt, non
diu duravere. Septimus annus agitur, ex quo Gallus pacta in literas relata
ferro abrupit. In Belgio quidem Mons Hannoniae, Namurcum, Carolo-
regia, in Catalaunia, Rhodae & Gerunda a Gallis expugnata sunt. Sed quae
Galli armis ceperunt, ea Hispani sine sanguine se recuperaturos sperant, si qui-
dem pax generalis sancita fuerit. Jam enim arctiores Gallorum res videntur,
postquam mari superiores Angli evasere, hostiumque classis portibus inclusa, nec
aspectum foederatorum sustinet. Interea Mauri in turbido piscaturi Hispanis
negotium facessunt, Septamque & Melillam obsidione claudunt. Ultraque ta-
men strenue a suis defenditur, speramusque fore, ut Barbari re infecta di-
scendant, Hispaniaeque sine causa lacessitae poenitentia
ducantur.

misit, forte indignus
ipse decernere con-
traque defuisset. In
enta fere octo dies
rare fortuna. In
this imperii liber-
imo tota ferme His-
est, hoc tamen Go-
rum celebrare licet.

IV. Indigna popu-
ret dominos, qui
mirum Mauritaniam
vero de Hispanis
Quod enim viribus
vitia retinendam
cipio turbatum pro-
dandus, in qua
Qui memor origines
contemptam jam
compluribus, vic-
ad successores tra-
liasque urbes Sar-
respirare Hispani-
paverant, vix inte-
pugnatum, &
aut bellum inter-
fuit. Frequenti-
unam post aliam
enimvero si quis
tum Mauris praes-
regno suo defend-
gravi contra Por-
Andalufiam, Mu-
inducias magis na-
Sed cum his infla-
rendi captaret, in-
& oppugnata &
cum Portugallo



Sed eo fugato
a, vel fortuna, vel
traque parte cru-
momenti delibe-
ibus vitae, Go-
quaevs civitates
endiariaque facta
sacra more majo-
cine Mauros fer-
erat? Igitur non
uisse. Optime
est, jure dixeris.
e, sed immani sae-
aluti fuit. A prin-
Vir in tantum lau-
ollegit exercitum.
joribus capessens,
bibusque receptis
umfit insignia, &
, Suprariam a-
m. Ita quidem
annis Mauri occu-
ria saepe fortuna
KV. seculi finem
tio, aut infida pax
auri deminuti, qui
erunt. Verum-
im natus est. Qui
a, ut non tantum
t. Ipse Ferdinandus
alagam Hispanos,
, Ferdinandumq;
st quod miremur.
ni ulterius profe-
ontra datam fidem
t. Itaque pacem
iscendam se com-
parat.

parat
prim
& oc
jam
port
Abu
ligio
scep
delit
biab
rat,
ren
toto
ad u
dit
ince
den
qu
a d
Ta
Ma
An
ri
pr
pr
na
in
va
ru
n
b
g
n
r
W
f

